

mis oportet nos illum Dominum, Salvatorem ac triumphatorem nostrum habere hic præsentem; indeque ingenti accendi lætitia: *Lætas hi habemus lacrymas, et lætitiã lacrymantem* (ait Urbanus IV. Pp. in epist. de sacramento) *nostram memorando liberationem et recolendo passionem Dominicam.* Sicut enim Judæi in templi restauratione partim lætati sunt ob reparationem secundi; partim fleverunt ob destructionem primi, Esdr. III. ita coram hac venerabili eucharistia partim nos lacrymis recordemur Dominicæ passionis, qua dissolutum fuit sacratissimi corporis ejus templum, partim cum gaudio gloriosæ ejus resurrectionis, quia templum illud rursus instauratum est.

IV. Quinam pauperes? Utique nos omnes, variis miseriis et oneribus pressi secundum animam. Quis enim nostrum dicere audeat, se non egere bono aliquo? Non premi malo aliquo? Ergo sicut olim prodeunte in publicum Christo, obviarunt illi pauperes undique et afflicti iste visum, ille auditum, alius gressum petiit: ita obviemus et nos. De Christo in terris ambulante in corpore mortali ait Sanctus Petrus Actorum X. *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, solis nimirum instar undique radios beneficiorum spargens.* Hunc solem pauper ille cæcus ad Jericho suis clamoribus velut alter Josue sistit, quem oculis non viderat; sed transire solum audierat, Lucæ XVIII. Sufficiat ergo et nobis ex auditu fidei scire Christum jam transire, licet oculis non videamus. Cæcus ille opportune et importune vociferatur: *Jesu fili David, miserere mei;* et increpitus ut taceret, multo magis clamavit. Sanctus Ambrosius putat eum prius in egressu Christi in civitatem non auditum, altero die in egressu rursus adfuisse et orasse ad aliam portam, sicque tandem auditum esse: quemadmodum Lucas in ingressu, capite XIX. Marcus vero in egressu, capite X. ait cæcum sanatum. Sic ergo et nos per omnes portas et angulos urbis observemus Christum et oremus: si in primo non audierit, audiet in secundo vel tertio. Sistamus et nos solem hunc cum cæco et Josue, orando: *So, contra Gabaon ne movearis,* Josue X. contra Ecclesiam et fideles tuos. Da Domine, ut videamus, fide scilicet firmissima, tuam in eucharistia præsentiam, erige claudicantes pedes nostros, et excita ad amorem tui, conforta debilitatem nostram, ut agnoscamus beneficia tua, dita paupertatem nostram meritis ac virtutibus.

CONCIO V.

POMPA PROCESSIONIS, QUÆ IN FESTO CORPORIS CHRISTI FIT, EXPLICATUR.

I. Splendidus ornatus tam laicorum, quam clericorum. — II. Corona de rosis et floribus. — III. Umbella a viris honoratis supra Dominum gestatur. — IV. Cerei ardentis gestantur ab aliis. — V. Vexilla gestantur. — VI. Arma Christi gestantur a puerulis. — VII. Musica adhibetur. — VIII. Bombardæ exploduntur. — IX. Campanæ omnes resonant. — X. Ornatur tota civitas.

THEMA.

Impleatur domus mea, Luc. XIV.

Dominus et Salvator noster, auditores, pergens Jerosolymam ad passionem suam, divertit prius in Bethaniam, vicinam Jerosolymæ, et ibi sumpsit cœnam in domo Simonis leprosi. Ibi mox adest Maria Magdalena cum unguento pretioso, et ungit pedes Domini, tergitque capillis suis: denique unguentum fracto alabastro totum effundit in caput Christi: *Et domus impleta est ex odore unguenti.* Vidit hoc Judas proditor, et indigne tulit unguenti effusionem, quod trecentis denariis vendi potuisset. Audite jam Christum Dominum defensorem Magdalenæ: *Sinite eam. Quid illi molesti estis? Quod habuit hæc, fecit, Marci XIV.* Quid est, quod loqueris Domine? Judas queritur de nimia unguenti profusione, et tu respondes: *Quod habuit hæc, fecit,* quasi dicat: Dimitte illam, quia plus non habuit, quod profunderet, hoc enim quod fecit, ejus amor et meæ dignitati parum est aut nihil: plus ergo faceret, et jure quidem faceret, si plus haberet. Magdalenam imitatur his diebus mater nostra Ecclesia, dum effundit supra Christum regem suum totam devotionem, adeoque cor et affectum suum per varias cæremonias, cultum et venerationem, quibus totam civitatem implet, quasi unguento pretioso. At erit fortasse Judas aliquis, qui cultum hunc reprehendet velut nimium et superfluum. Cui nos respondemus: Quod habemus, facimus, nimis sane parum est, imo nihil quod facimus. Plus facere nos deceret, et quod semel in anno facimus, singulis anni diebus oporteret facere, atque utinam hoc possemus? Jam ergo quanto jure hæc ei debeamus, et quid sibi velint, nunc dicamus.

I. Splendidiore ornatu comparent fideles, non solum laici, sed et multo magis clerici in paramentis sacris, quam possunt, splendidissimis; nequaquam vero ad suam, sed ad Christi regis nostri immortalis gloriam. Nemo igitur hoc jure inculpabit. Si enim principum majestatem ornatus aulicorum cultus: si aulici Salomonis suo etiam vestitu traxerunt in stuporem reginam Sabæ

III. Regum X. versu V. si recte commendatur Judith, quod in diebus festis procederet cum magna gloria, Judith, capite XVI. ad Dei scilicet honorem: si levitæ ac sacerdotes, quando vasa sacra aut arcam gestabant, cum pretioso ornatu procedere debebant; non millies magis decebit, ut summum nostrum gloriæ Regem, non jam per umbram, sed in propria persona nobiscum ambulantes conducamus cum omni, quo possumus, decore et ornatu? Tametsi enim scimus, eum solo hoc externo splendore præcise spectato, parum aut nihil affici, si tamen ab affectu pio procedat, non potest ei non placere, præsertim cum interno animæ ornatu conjunctus sit; id quod intendimus. Quemadmodum enim Christus sacræ cœnæ suæ præmisit lotionem pedum, ut per eam manuducerentur atque instruerentur ejus discipuli ad emundanda pectora ab omni peccato, quo saltem Judas proditor contaminatus erat; sicque ad sacram illam mensam puri accederent, (id quod insinuavit Petro: *Quæ facio, tu nescis modo, scies autem postea,*) ita quoque æterna illa vestium mundities admonet fideles, ut coram cœlesti Rege, suo mundo corde appareant: detersa, per contritionem saltem, omnium peccatorum labe. Nec aliud voluit Jacob patriarcha, quando perrecturus in Bethel ad sacrificandum, toti familiæ suæ indixit novum et mundum vestitum: *Mundamini, et mundate vestimenta,* Genesis XXV. neque aliud Deus, quando jussit populum accepturum legem in pentecoste lavare vestimenta sua, Exodi XIX. ne sordidi comparent. Externo enim nitore internum eis inculcabant: et merito quidem. Si enim Joseph ad conspectum Pharaonis admissus non fuit, nisi attonsus et mutata veste, sordida in nitidam, Genesis XLI. si ad aulam Assueri et Persarum regum non licebat sacco, hoc est, squalida veste indutum intrare, Esther IV. quomodo licebit in sordibus peccatorum apparere coram cœli et terræ Rege? Certe ob præsentiam Judæ proditoris Christum in mensa illa sacra turbatum et protestatum esse scimus: *Quia manus tradentis me, mecum est,* Joan. XIII. Quid si multi tales adfuissent?

II. Coronis de rosis aliisque floribus redimiti incedunt. Jure hoc fit ad honorem veri Dei, quod olim ad inanium deorum cultum gentiles fecerunt, II. Macch. VI. Significant autem primo, regiam dignitatem, quam servis suis contulit Rex regum per traditionem corporis et sanguinis sui, ut hic dominetur vitis per virtutes, ibi vero morti et miseriis omnibus per beatam immortalitatem. Constans imp. Constantini M. filius urbem Romam ingressus videns civium Rom. splendorem, tot reges videbatur sibi videre, quot cives, Cuspinianus, in Constante. Verius

multo hoc dicitur de Christianis; de quibus S. Joannes, Apoc. I. ait: *Fecit nos regnum, seu ut Tertullianus et multi Græci codices legunt reges.* Secundo, suaveolentiam castitatis, quam desiderat Rex noster. Tametsi enim quovis peccato offenditur, maxime tamen peccato impudicitiae. Qua de causa non solum matrem habere voluit virginem, sed etiam nutritium Josephum, a quo sæpius attrectandus, gestandus, ducendus, educandus erat. Quinetiam mortuus nisi in sepulero novo, in quo scilicet nemo prius sepultus, adeoque nullus cadaverosus factor isisset, sepeliri.

III. Umbellam supra eucharisticum corpus Domini viri honorati gestant. Solent hoc facere etiam imperatori primarii viri alienigenae civitatis, quam ille ingreditur: quanto ergo potius fit ei, cui: *Data est omnis potestas in caelo et in terra,* adeoque Domino omnium civitatum? Designat vero umbella hæc arcanum hujus mysterii, quod proinde Apoc. II. appellatur *manna absconditum*: quia sub eo cœlesti cibo Christus latet, miro modo absconditus, sibi tamen non insueto. Quid enim non absconditum, et intellectum nostrum non excedens in mysteriis Christi? Quis nostrum comprehendit quomodo una Persona duas sustentat naturas, humanam et divinam? Quomodo Christus natus sit ex virgine? Quomodo clausis ostiis ad discipulos intravit? Cœlos penetravit? Mundum sine armis subegerit? Typum hujus arcani præmisit Deus in veteri testamento, cum jussit fieri duos Cherubinos æreos, qui partim alis, partim corpore suo tegerent propitiatorium seu operculum arcæ, Exod. XXV. Noluit enim Deus inspicere arcana suorum oraculorum, quæ ex propitiatorio dabat, nec vult a nobis examinari suam potentiam. Ideo enim Saulum prius, quam ipsi divina mysteria revelaret, per triduum excæcavit, Act. IX. quia Deus major est corde nostro.

IV. Alii præcipui viri cereos ardentis ferunt. Ritus hic accedenti cereos coram ven. eucharistia ab apostolis desumptus est. Ita enim Act. XX. cum convenissent fideles una cum Paulo ad frangendum panem, hoc est, ad s. communionem: *Erant lampades speciosæ in cœnaculo.* Inducant autem cerei et faces illæ, rationes credibilitatis, quibus mysterium eucharistiæ, licet nobis absconditum, omni fide dignissimum demonstratur, ita ut nemo nisi pervicax et temerarius de hoc dubitare possit. Faces illæ sunt clarissima ipsius Christi omnipotentis, qui falli aut fallere nequit, verba, testimonium S. Pauli, consensus patrum, Conciliorum, et totius Ecclesiæ per tot sæcula: manna v. t. quo velut typo et umbra præstantior utique debet esse eucharistia:

tot tantaque miracula, quæ passim contigerunt, et adhuc per orbem christianum visuntur.

V. Alii vexilla gestant, sua quæque tribus: quo modo et Hebræi in deserto circa tabernaculum castra figentes, sua singulæ tribus et familia expandebant vexilla, Num. II. § II. quibus indicabant victoriam de Ægyptiis aliisque gentibus partim obtentam, partim obtinendam: vexilla enim erepta et erecta victoriæ trophæa sunt. Nobis significat varias victorias, quas obtinuit Christus in eucharistia contra varios adversarios, hæreticos, Scythum, Berengarium, Wiclefium, Calvinum, Bonovillum, contra Donastistas et Albigenses, necnon contra Turcas: partim per Concilia, partim per miracula, partim per adversariorum extinctionem.

V. Pueruli angelorum habitu gerunt arma Christi passi. Debentur illi Christo Domino velut ejus ephēbi. « Ubi est Christus in eucharistia, ait Sanctus Chrysostomus, homil. XXXVI. in I. ad Corinth. ibi etiam non deest angelorum frequentia; ubi autem est talis rex et talis princeps, ibi est celeste palatium, imo ipsum celum. » Et homilia, de sacra mensa: « Ad hanc mensam assistunt Cherubim, descendunt Seraphim, qui vultus demittunt: » et S. Ambrosius, lib. VIII in Lucam: « Est corpus, de quo dictum est: Caro mea vere est cibus, circa hoc corpus sunt veræ aquilæ, quæ alis circumvolant spiritualibus. » Arma passionis quæ gerunt, ingerunt nobis memoriam Christi passi, in hoc sacramento ab ipso commendatam. Si enim quærant hæretici, cur eucharistia in specie panis tantum, non item vini, adeoque Christus velut exanguis esset, representetur, respondebunt angeli ideo id fieri, quod arma illa, flagellum, spinæ, sudarium, clavi, lancea, crux, omnem ei exhausterint sanguinem, quo lytrum redemptionis nostræ persolveret. Ostendunt ergo hæc tartarej hostis arma a Christo superata et triumphata, Deo esse dicata, adeoque sanctificata: sicut Judith vasa Holofernis obtulit in anathema oblivionis, h. e. in detestationem et expulsionem oblivionis, seu in sempiternæ victoriæ memoriam, Judith ult. et sicut David gladium Goliathi reposuit in sacrario, 1. Reg. XXI.

VII. Cantores tum vocales, cum instrumentales omnis generis organos accinunt laudes Regi nostro, jure meritoque; quia et in hymno suo canit S. Thomas Aquinas: *Quantum potest, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficit.* Si enim tres illi pueri in fornace, quando viderunt angelum Domini similem Filio Dei (ut dixit Nabuchodonosor) secum ambulantes, et flammam excipientem, ceperunt uno ore non modo Deum laudare, sed omnes etiam creaturas ad Dei laudem invitare, Dan. III. quanto

magis decet nos ad præsentiam ipsiusmet Filii Dei prorumpere in Dei laudes, quibuscumque possumus modis, instrumentis, jubilis; adeoque totum mundum ad hoc invitare. Sic etiam David rex cum induceret arcam in civitatem suam et ipse, et omnis Israel ludebat coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, II. Reg. VI. quanto potiori jure facimus id nos coram ipso Domino cæli et terræ? Quid enim arca illa lignea nisi rudis quidam typus s. eucharistiæ erat? Et tamen in ea David videbatur sibi intueri Christum Dominum suum. Quid fecisset coram ipsomet Domino vere in carne præsentem? Et si tantus rex ludere in citharis minime erubuit, qui inferioris conditionis sunt, erubescant Regi suo obsequia deferre et laudes cantare? Omnibus ergo lignis fabrefactis, omnibus modis, qui excogitari possunt Christus in eucharistia colendus et laudandus est. Utinam cerneremus quanta in veneratione habebant hoc sacramentum Indi, non ita pridem ad fidem conversi. De Goensibus ex Salsetensi collegio scribit p. Hieronymus, Majorica, in annis de anno 1620. eos, cum sibi obveniant, vel litteras scribunt, ita se salutare: *Laudetur ss. sacramentum*, fol. CLXII. Ital. impres.

VIII. His accedunt bombardarum et selopetorum festæ explosiones, necnon armati stipatores ad terrorem et confusionem infidelium et hæreticorum: quo intelligant non paratos esse ad defensionem fidei nostræ quam bombis tormentorum toti orbi patefacimus, nisi præsidio v. eucharistiæ, quæ hostium nostrorum terror est quia ut ait S. Augustinus, lib. 1. ad Januar. *Sacramento corporis Domini subjugatus est mundus.* Videant Judæi Agnum illum, quem in cruce peremerunt, jam in toto christiano orbi coli et celebrari, Deoque sacrificari in omni loco; dum ipsi cum legē et sacrificio sue omnique dominatu confracti et sub pedibus jacent. Videant hæretici fidem catholicam huc usque inextinctam, imo hæresum extincticem, semper efflorescentem tam a primo sui exordio.

IX. Arca quoque campana resonat interea, dum processio fit, et cur, nisi ut excitent fideles ad orationem quo Deus conservare in Ecclesia velit jure sacrificium, et pium sanctumque usum ac venerationem s. eucharistiæ? Etenim hæc sublata quid nisi ruina immineret? Hæc enim de causa antichristus dum orbis erit monarcha, auferet sacrificium eucharistiæ, ita ut nemo publice celebrare illud audeat, usumque communionis quo fideles, qui per illam vehementer in persecutione corroborantur, facilius a fide deiciat, sibi que subiciat ut habetur, Dan. XII.

X. Denique, tota civitas quasi unum sit tem-

plum, dum terra, qua transit Rex noster, floribus et gramine insternitur, plateæ frondibus, domus tapetibus et sacris imaginibus exornantur; quatuor in quatuor urbis plagis aræ excitantur, ubi sub dio quatuor evangelia cantantur, et benedictio datur. Quibus omnibus imitatur imprimis pios illos cives Jerosolymæ, qui intranti urbem Christo super asello, partim substravere vestes et ramos, partim frondes manibus gestavere. Deinde, veteres illos et ss. patriarchas, qui ubicumque Deus ipsis apparuit et locutus est, ibi ædificarunt altare: locum illum, quo Deum vidissent, pro sacro habentes, uti Abraham, Gen. XII. § VII. Isaac, Gen. XXXVI. § XXV. Jacob, Gen. XXVIII. § XVIII. et XXXV. § VII. Moyses, Exod. XVII. § XV. Gedeon, Judic. VI. § XXIV. Clare id ipsum Deus indicavit Moysi, Exod. III. et Josuæ, Jos. XV. quando eis apparens jussit eos exuere calceamenta, propterea: *Quia locus, in quo stas, terra sancta est*, inquit. Unde sancta, nisi ex ipsius Dei, quia ibi apparuit, præsentia? Denique, Davidem, qui introducens arcam in Sion, jussit in vita tota, licet alioquin extra tabernaculum sacrificare non liceret, mactari plurimas hostias, ita ut septimo quoque passu septem sacrificarentur tauri septemque arietes, II. Reg. VI. adeoque præsentiam omnem locum sanctificaret et in templum commutaret. Porro nos quatuor tantum aras extruimus ob quatuor evangelia ad eas decantanda, quibus indicamus sonum evangelii; unaque majestatem ac fidem ven. sacramenti ad quatuor mundi partes esse propagatam.

Habemus igitur jure meritissimo impendi Regi nostro Christo quidquid his diebus per universam fit Ecclesiam neque nimium esse, quod fecimus, sed en nimis parum. Quod ha-

bemus hoc facimus, vel certe facere debemus, quia omnia Christo debemus, quæcumque habemus. Quamquam parum nimis est externa ista pompa nisi eam interna comitetur pietas et devotio, cortex est nucleo carens, vitis frondosa sine botris, cadaver est anima destitutum. Quare si perfectum Regi nostro obsequium exhibere volumus, cultum internum, externo jungamus. Parum egisset Magdalena, si unguentum demtaxat super Christum effudisset, nisi simul corpus suum cum unguento effudisset. Hinc Marcus ait, unguentum illud fuisse nardi spicati: est enim duplex nardi unguentum, unum foliatum dicitur, quod ex foliis nardi conficitur; alterum, quod ex spicis: hocque illo longe est præstantius, quia plus habet substantiæ et medullæ, teste P. Cornelio, in capite Joannis XII. Foliatum unguento Christum perungunt, qui externo tantum cultu: spicato qui interno eum venerantur: utroque, qui utrumque adhibent. Non ergo folia sola, sed etiam fructus Christo offeramus. Abstineamus per hos dies, quibus transit per nos Christus, a pravis cogitationibus, sermonibus et factis: cogitemus Deum non frustra mandasse Moysi et Josuæ, ut exuerent calceamenta eo loco, quo ipse præsens eis apparuit. Voluit enim dicere et ipsis et nobis, exuenda esse opera mortua, præsertim cum ipse præsentem esse in carne exhibet. Tota nostra civitas per hos dies locus sanctus est, templum quoddam est: depinamus ergo calceos fetentium peccatorum, ut mundi ad mundum, pulchri ad pulchrum eamus: impleatur non domus sed tota nostra civitas odore boni unguenti quod hisce diebus effundimus in tenuitate et paupertate nostra super caput Salvatoris nostri, ut ita etiam quod agimus, ipsi probetur, et prædicari aliquando queat coram toto mundo in die judicii.